

$\pi$  g  
121









DE  
IMPEDIMENTIS PROPECTVS  
REI SCHOLASTICAE

SVCCINCTA COMMENTATIONE

EXPONIT

CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE,  
A. M. NEOPOLITANI PROPE DRESENAM LYCEI RECTOR, ET LATINI  
IENENSIVM COLLEGII SODALIS.



---

DRESENAE  
TYPIS HARPETERIANAE VIDVAE.



II g  
121



APPENDIXES PROCEDES  
EPISTOLOGASTICAE

PROCEDES COMMUNICATIONIS

ET ALII

CHRISTIANVS FRIDERICVS OLF

1. DE NEBULOSIS PROE DEBEMUS IURE REPT. 2. DE LATINE

HEBENVM CIBUM CIBUM



DRESNAE

THOMAS BARTHOLDIUS VIVENS







habuit saeculum nostrum, bellis literis intentum, causas sane grauissimas, cur in scholas salutari consilio tuendas, regendas, emendandas, cura singulari conuerteretur. In aliis enim literarum ludis homines scholarum florem cupide oprantes desiderare sibi visi sunt mores ad humanitatem satis informatos, in aliis studia quaedam, ad delicatorem aetatis nostrae genium, encyclopaediam plerumque spirantem, accommodata, in aliis et docendi ratio, et disciplina non potuit non prudentioribus displicere. Feruet adhuc opus, ut ait ille. Scripta eduntur scholasticae rei felicius gerendae lucem accensura, ineuntur consilia scholas, quibus periclitantibus rei publicae salus periclitatur, in meliorem statum redigendi. Sed quo plura subsidia quaeruntur atque afferuntur corrigendae rei scholasticae, eo magis a maiorum doctrina, firmis fundamentis superstructa, discedere videmur. Melius, nisi vehementer fallimur, ageretur cum literis, melius cum





cum ciuitatibus recto literarum cultu iuuandis, si patrum ac maiorum vestigia strenue legerentur in scholis, neque tamen spernerentur, quae addere, vel subleuare nostra aetas potest. Operae igitur primum me facturum existimo, si causas huius vitii, scholis admodum periculosi ac fatalis, inuestigauero, cur, quamuis ferueant conata scholas in rectiorem formam reuocandi, parum proficiatur. Sed haec nolumus ita accipi, ac si haec incepta viruperaremus, quae maxima laude cohaerenda videntur. Nam praecipua fundi literati calamitas e scholis, male constitutis, oritur, quippe in quibus doctrinae omnis iacienda sunt fundamenta. Impedimenta potius remouere studemus, quibus optime consulta retardantur.

Fontes mali circumspiciens pedem inferre mihi videor scholis multis, patrum nostrorum memoria discentium multitudine frequentibus. Ad paucitatem cerno redactas, iuuenes pueritiam vix egressos in academiam cogitantes. Euolant, veluti implumes pulli, vel parentum consilio, vel suo, parentibus imperante, vel commilitonum, vel, quod mireris, praceptorum, vel stipendiis gentilitiis, quae opima se iam offerunt, ad pennas mouendas audaces. Libertate viuendi arbitrio suo gaudent, salutant professores academicos, nihil, certe parum, percipiunt sublimiorum disciplinarum, fundamentis in schola ponendis destituti. Animo ad causas rerum contemplandas nondum maturo, fastidiunt cibos vitis appositos, chartulis lusoriis se dantes atque aleis, rusticantes, non cum Musis, verum Baccho socio cum Gratiis suis gratiae nihil habentibus.

*Sed fugit interea, fugit, heu fugit vilis aetas,  
Vt celer admissis labitur annis aquis.*

Trien-





Triennio sic transacto Academiae dicitur yale. Ad suos redeunt nullis doctrinae opibus instructi, muneri gerendo inepti, et si quo potiti fuerint, otio disfluentes. Nae illi bene rexerint alios, qui regere se, expertes artium ingenuarum, non didicerunt. Quam pestem late patentem, vsu doctus longo, sensit ac deplorauit Gesnerus, ineunte Isagoge in eruditionem vniuersalem, comparata superiorum temporum prudentia. *Iuniores, inquit, veniunt in academias, brevioribus spatiis morantur, magis ad forum quisque suum festinant.*

Sunt tamen in scholis oppidanis iuuenes, qui, quamuis barba satis prolixa se conferant ad altiora Musarum castra, in academiam tamen studia nimis cruda propellunt. Hi se vel solis artibus musicis dederunt, vel elementariae potissimum liberorum institutioni, qua vel alimenta sibi compararent, vel, si lautior esset conditio, numos in academicos vsus reponerent. Quanto id fiat rei publicae literatae detrimento, res ipsa loquitur. Illos conueniebat, euulso errore opinionis, Musicis studium cum aliis, quibus ad sublimiores disciplinas aditus paratur, artibus prudenter coniungere (neque enim inimica est aliis artibus diuina musica, verum easdem mirifice adiuvat) hos tempori nunquam reparando parcere, et paucas admodum horas aliorum institutioni, imprimis infantulorum, tribuere. Sunt et in scholis celebrioribus iuuenes, qui, dum Gallorum, Italorum Anglorumque linguam, graecis latinisque literis posthabitis, studio tam acri persequuntur, vt, quando graeci vel latini scriptores explicantur, vel alia praecepta scholis conuenientia traduntur a praeceptoribus, historiolas legant ludicras atque lubricas hisce sermonibus peregrinis scriptas. Hi in academiam contententes qui possunt fructum aliquem percipere ex professorum lectionibus? Qui possunt opti-







optimae notae libros euoluere lingua Romanorum, ac potissimum Graecorum exaratos? Qui possunt disputando ingenium acuere, et disciplinas academicas in explorationibus priuatis altius animo infigere? Nolite credere, linguas vos eruditas in academiis comparaturos. De sumtibus enim nihil dicam, qui multo maiores hic fiunt. Ipsa memoria sensim minuitur, iudicio in rebus grauioribus defixo obruta. Itaque fastidio sunt prima linguarum elementa, quibus percipiendis pueri delectantur. Neque doctores ad haec ima descendunt, quae iam aliunde allata praestruunt. Illud autem lugeri satis nequit, quod illi, qui iurium se disciplinae dare volunt, plerumque Graeca negligunt, tanquam superuacanea. Nonne vero operae pretium est, riuulis relictis fontes adire, atque incunabula Iuris prudentiae quaerere in Graecia, vnde Romam se illa contulit?

Nec leuius damnum inferitur ludis literatis, si qui alto supercilio spretris, saltim satis perfunctorie ac frigide tractatis Graeciae Latinaeque praeis scriptoribus, realia tantum, sicut illa vocare solent, consectantur. Res, clamant, afferendae, non verba! Ita vero in historicis, genealogicis, heraldicis, geographicis, theologis, physicis, mathematicis (quidni et iuridicis et medicis?) praecipue occupati disciplinis, rerum plurimarum notitia dum mature imbuendam iuuentutem ducunt, id solum efficiunt, vt ex omnibus aliquid, si quid comprehendunt discipuli, in toto nihil comprehendant. Tot artibus ac disciplinis in schola innutriti homines quam digni sint academia ciues, exemplo patebit. Ad Ioetherum, insigne Lipsiensis academiae quondam decus, fascies tum academicos habentem, professum sua nomina, iuuenes binos venisse, fide non incerta accepimus. Alter se philosophiae aliarumque disciplinarum subli-





sublimiorum notitiam penitus imbibisse ait, alter ex prouinciali quadam schola profectus, se ingenium formasse ex priscis scriptoribus. Hic latinis se verbis prosequenti Reктору academico promte respondet, laude insigni mactatus, ille magis fit mutus, quam piscis. Ego vero, Ioecherus inquit, auctor tibi sum, vt, quia scholam male commutasti cum academia, nunc, si me satis audire volueris, academiam mutes cum schola, nec tractes primis annis academicis disciplinas, sed linguas et alia ad disciplinas seueriores viam sternentia. Facile largimur, praeter scriptores classicos alia etiam inueniri praecepta in scholis inferioribus haud praetereunda: Sed modum hic atque finem prudentia statuatur, quid humeri puerorum ac iuuenum valeant, quidue recusent ferre, haud ignara. Nec impetrare a nobis possumus, vt res praestantissimas in optimis aetatis priscas libris desiderari opinemur. Siue enim historicos scriptores, siue oratores, siue poetas euolueris, satis profecto habebis rerum haud contemnendarum, quas fideliter didicisse nunquam te poenitebit. Neque enim res vulgares nobis traduntur his in monumentis, sed exquisitae, quibus et ingenium limatur, et iudicandi subtilitas acuitur. Immo vero dicam, quod secum paucissimi reputant, verbis elegantibus alitur ipsa rerum elegantia. Ideo saltem Graeci ad tantum doctrinae fastigium peruenerunt, quod sermone tam copioso, tam venusto, tam rebus declarandis apto, florerunt. Indidem scripta eorum tulerunt aetatem, quod verba rebus respondent. Contra ea barbaries dicendi sentendi barbariem inuexit, non depulsam prius, quam rediret eloquentia cum caeteris artibus, quae ad humanitatem pertinent.

Sunt





Sunt praeterea, qui graecis latinisque scriptoribus postpositis plurima, quibus erudiendam iuuentutem existimant, praecepta atque exempla ex ieiunis quibusdam scriptis recentiorum decerpunt. In his multum laboris et studii consumunt, his memoriam discipulorum sic obruunt, ut exiguus locus relinquatur Graeciae Latinaeque deliciis, quas *αἷς ἐν πικρῶν* et summis tantummodo labris delibant. At enim sic nos in scholis gerendo puros profluentesque fontes eruditionis deserimus, e quibus aquae salubrius erant bibendae, conuersi ad fluentia, nescio qua, riparum amoenitate inumbrata. Nemo certe summorum virorum, quorum personam omnibus numeris absolutam sistunt Erasmi, Melanchthones, Camerarii, Chemnitii, Grotii, Scaligeri, Meursii, Spanhemii, Gronouii, Graeuii, Potteri, Burmanni, ad tam vastam eruditionem adspirasset, nisi a pueris inde graeca et latina exemplaria diurna nocturnaue manu tractassent. Nemo sane graecarum literarum experts et latinarum in formando limandoque ingenio prosperis utetur successibus, quibus homines his diu multumque innutriti gaudent. At nunc alumni disciplinae in manus dantur libri scholastici, qui discerptos veterum locos ac recentiorum ad varias scientias pertinentes continent. Primo quidem res ipsae grauioris sunt momenti, quam ut eas capiat aetas tam tenera. Tum frustra dissecta lacerant coagmentationem pulchram, in qua tantum iucunditatis inest. Denique non potest non stilus inaequalis fieri ex ingenii tam diuersis, et dicendi genere, partim barbaro, partim recto. Praestaret profecto, more maiorum, libros integros continenti ordine pertractare, eosque lectissimos, ac sententias vtilissimas, inter se aptas colligatasque, penitus animo comprehendere, ac scribendi modum copiosum ornatumque discere.

Alia





Alii dant nimium sermōni vernaculo, contemptis eruditissimis linguis. Non ii fumus equidem, qui linguae patriae cultum ornatumque iuuentuti vllō modo negligendum suadeamus. Turpe fuisset Romanis literarum amantibus, si, omīssa Latii cultioris lingua, graeco tantum ore loqui, scribere stilo tantum graeco didicissent. Qui fieri potest, vt homo in explicandis scriptoribus priscis occupatus oratores, poetas, historicos, philosophos, apte ornateque sua quemque orationis forma et habitu in linguam patriam exponendo conuertat, si varias orationis et poeseos formas lingua, cuius in sinu natus educatusque est, ex optimae notae monumentis sibi non reddidit vsu atque exercitatione familiares? Quos tandem habebis oratores in suggestu sacro, vel in causis ciuilibus et negotiis publicis dicentes? Quos iure Consultos grauissimas clientum causas agentes, si mediocri admodum linguae patriae instructi cognitione fuerint? Quis in patriae lingua hospes et peregrinus animi sensus vel in scribendis epistolis apte et concinne declarabit? At nemo magnos hic fecerit gradus, qui matura demum aetate cum genio huius linguae familiaritatem aliquam inire voluerit. Sed tamen sedulo inculcandum hic in scholis putamus illud: Ne quid nimis! Iuuenes meminimus haud paucos cum magno suo damno, nec reparando, in lectione libellorum ad tempus fallendum, satis interdum ieiune, nostra lingua scriptorum, dies noctesque sic defixos, vt forderet, quicquid Latium Graeciamue oleret. Eobanus Hessus, ingenio et doctrina florentissimus, humaniorum literarum linguarumque sua iam aetate contemtionem nitidis ad Bilibaldum Pyrghaymerum Elegis queritur. Qui cum et nostro saeculo dicti fortasse videantur, facere non possum, quin asseram:

B

Ipsē





Ipse vides, nostro quam nullae tempore Musae,  
 Iamque, ut sint aliquae, quam sine laude canant.  
 Quin potius, quam futilibus plena omnia nugis,  
 Quam sint rixosis omnia plena libris.  
 Fata senescentis quaenam sint pessima saeculi,  
 Quae numeris constet, litera nulla placet.  
 Nec tantum numeris fuit hoc fortasse ferendum,  
 Gloria linguarum quae stetit ante, iacet.  
 Tam mala dum video tamque improba tempora Musis,  
 Ad Musas timido discimus ire pede.  
 Nempe vides, postquam tam praua licentia facta est,  
 Omnibus edendi barbara scripta plagis.  
 Egregia interea longo monumenta veterno  
 Passa graues tineas, et sine luce iacent.  
 Omnia Teutonicis implentur scrinia chartis.  
 Doctus in his vulgo quilibet esse potest.

Prudens hic delectus habendus, tantumque temporis tribu-  
 endum graecis latinisque literis, quantum scopo cuique suo  
 rite assequendo conuenit. Latinae inprimis linguae compare-  
 tur ea facultas, qua ornatus quisque iuuenum, ante quam  
 profisciscatur in academiam, promte et expedite loquatur.

Venio nunc ad alios homines, scholis ita quidem ope-  
 ram dantes, ut satis temporis in priscorum lectione scripto-  
 rum consumant, nec tamen omnia mouendo discipulos ad ni-  
 tidum





tidum venerandae vetustatis ingenium effingant. Sunt enim, qui lectioni auctorum statariae sic inhaerent, vt annus sit, cum librum aliquem breuiorem absoluerunt. Sic ego sextum Aeneidos Virgilianae librum, sic vix centum ex Hesiodo versus, vix integrum ex Ouidiana metamorphosi librum, cum annus iam esset suis mensibus circumactus, memini admodum mediocriter explicando ad finem perducere, quamuis non deessent discipulorum ingenia, quibus multo breuiori tempore pensa haec cum fructu afferri possent. Qui studio tam accurato, tam omnibus numeris, vt ipsi putant, absoluto versantur in auctoribus legendis, singula operosius dissecant in frustula adeo minuta, vt Ennii Ciceroniani particulae, atomos Epicuri explosurae, vix esse minutiores possint. Quicumque vocis hic obuia significatus obtinet, e lexico maiori affertur, adduntur ad nauseam vsque grammatices praecepta, quicquid dici potest ex antiquitate congestum, dicitur, excipitur calamo. Enucleantur formulae, coniiciuntur in chartam. Ita fieri non potest, quin desideretur orationis filum, ipsius auctoris sententiae in tanta obseruationum annotationumque farragine subducantur memoriae discipulorum, atque huius morae longissimae fastidio capta iuuentus ipsos auctores contemnat. Pauci erunt ingenio tam erecto, quo Ernesti, Summus Vir, qui scholae cuidam adscriptus discipulus tempore, quo praeceptor primo adhuc Herodiani libro insistebat obseruatiunculis, integrum Herodianum, his ipsis horis, perlegerat. Ad ludicras res interea legendas, certe animo voluendas, discipuli facile delabentur. Mihi quidem fuit semper mirifice probata Schori disciplina, qua modum discendae linguae graecae ac latinae informauit generatim, atque exemplis Isocratis Tulliique praestantibus illustrauit. Hic attendit ad vocis pro-





prietatem, quid ornate dicatur, e tropis ac figuris monstrat, particularum praesertim iuncturam docet cum toto artificio periodico, res breuissime declarat, atque imitatione in succum sanguinemque vertit.

Alii magistrorum scholasticorum hanc Charybdin vitaturi in Scyllam, scholis non minus periculosam, incidunt. Solam cursoriam tractant auctorum lectionem, tanta quidem festinatione, quanta vix canis crocodilum metuens e Nilo bibisse videatur. Exponitur a discipulis pensum tam eneruata, ieiuna barbaraque conuersione, eam vt si literis consignatam tradideris homini locum hunc in promptu non habenti, quid sibi velit hoc pensum, vix vlla coniectura assequatur. Nihil afferitur de propria vocum potestate, nihil de impropria, nihil de vinculo, quo vtraque est coniuncta. De vi sententiarum et pulchritudine altum est silentium, imitandi studium exular. Sic paruo temporis spatio absoluuntur scriptores, discipulis percipientibus. Ita infantulis per totum diem infarciuntur cibi, quibus tantum abest, vt bene digestis alantur, vt potius impedito nutriente succo in grauissimos morbos incendant. Vtraque, si quid iudicamus, lectio, et stataria, et cursoria, bene prudenterque iungi poterunt. Illa iuuenes accuratori linguae cum caussis cognitione imbuat, vt, quemadmodum ait Celeberrimus Gesnerus, secure vel loqui discant, vel scribere, hac quid sibi efficiendum docendumque proposuerit auctor libri, vno quasi conspectu perspicere adsuescant.

Tandem ingenuarum artium ac virtutis seminaria prudentioris neglectu disciplinae multum ex flore suo desiderant. Odi, quod non diffiteor, morosorum plagosorumque Orbilio-





liorum vulgus, quibus (liceat enim ex Buchananano pingere) *rigor est in vultu, frons minis caperata*, qui hilari nunquam placidoque et sereno vultu adspiciunt discipulos, qui, quando leuissime vel in discendo, vel in moribus aberrauit iuuentus, quando vel nutu res omnis confici poterat, minis et contumelias, homine literato indignis, intonant, veberibus faeuunt, ipasque literas asperitate morosa faciunt exosas, haud memores, se fuisse iuuenes, et esse iuuenum patres. Sed tamen non ea sit in scholis indulgentia, vt literarum inde et perfectuum neglectus atque effusa morum peruerforum libido exoriatur. Pueri pertinaces, neque vllis rationibus mouendi, sic enim postulat necessitas, virgis interdum sunt castigandi; danda tamen est opera, et ea feliciter quidem, quod expertus noui, cedit, vt monitis potius, quam verberibus, res geratur. In adultioribus autem, quibus cum corpore mens confirmatur, parum effeceris verberibus. Habes alia, quibus ad officium redigas iuuenes non plane profligatos ac perditos, cohortationes grauissimas, carceres, sublata, si te audierint qui tribuunt, beneficia, et tandem, si vulnus insanabile fuerit, praecidere poteris membrum putidum, ne sincera pars contagione trahatur, e schola proscribere, qui inutilia sunt et manent scholae pondera. At enim, vbi parentes, quod haud raro fieri solet, dissident cum scholae magistris, vbi vitia liberorum, quocumque modo possunt, defendunt atque excusant, iniurias atque odia praeceptoribus filios castigantibus constant, vbi praeceptores ipsi scholarum prudentem disciplinam turbant, fieri non potest, quin animo cadat optimus quisque vir in schola nimium deuorans molestiarum, quin iuuenes voluptatibus indulgeant liberius, et mali tandem ciues ex mala schola proficiantur. Qua propter qui ludo suo consultum






cupit, illud Taciti semper habet in animo: *Iuuenes neque iugum nimis adstrictum, nec plenam libertatem ferre possunt.* Vbi igitur multitudo vitiorum, atque audacia poscit, facit, ut poena ad paucos, metus ad omnes perueniat, vniusque improbi animaduersione multorum coërceatur improbitas.

Has ego quidem et alias, alio tempore excutiendas, quibus scholae premuntur, difficultates considerans nihil magis in votis habui, quam ut muneri sacro, schola egressus, rite praeficerer, affulgere etiam coeperat spes haud incerta. Sed aliter visum fuit, qui me penitus nouit, immortalis Deo, Praefens ac manifestum Numen diuinum pronus, laetus obtemperansque adoro ac veneror in communi SAPIENTISSIMORVM DRESENENSIS REI PVBLICAE PATRYM voluntate, qua me, hominem nunquam visum, nunquam cognitum, nisi e lectionibus speciminis loco iussu suo tractatis, et chartulis quibusdam scholasticis foras datis, Lycei, quod prope Dresenam floret, Neopolitani Rectorem crearunt. Forem ingratissimus, nisi summa semper ope niterer, ut scholae, mihi commissae, florem omnibus rebus anteponerem. Quo ductus consilio iuuenes disciplinae meae traditos ad Graeciae scriptores Latiiue deducam, vnde poliant ingenium, mores autem castissima Seruatoris religione conformabo, quae firma ponant pietatis ac doctrinae, in posterum profuturae fundamenta. Ordinem vero totius societatis sic tuebor, ut in collegas concordia, in scholae Curatores veneratione cum omnibus certem. Sic animatus publico sollempnique gratissimae religionis officio munus mihi benigne demandatum adibo. Carmine enim heroico *sapientissima, quam Deus immortalium rerum omnium gerit, cura, quoad mortalitatis fert conditio celebrata,* PATRONIS MEIS, PATRYM CARISSIMORVM  
LOC





LOCO ET NOMINE COLENDIS, piae grataeque mentis  
pignus deferam. EPHORVM SCHOLAE MAGNIFICVM AC  
SUMME VENERABLEM, PATRES CONSCRIPTOS AMPLIS-  
SIMOS ET GRAVISSIMOS, SACERDOTES PLVRIMVM RE-  
VERENDOS, CLARISSIMOS DOCTISSIMOSQVE SCHOLARVM  
DRESENENSIVM MAGISTROS, et quicumque Musas fauore  
et benevolentia ornatas habent in deliciis, quanta possum,  
obseruantia et humanitate rogo, vt cras, hora secunda pome-  
ridiana sua in audiendo benevolentia recitanti animos addant.  
Quicquid in singulos studii, quicquid officii conferri poterit,  
eo tantae respondebo facilitati, omnemque in posterum occa-  
sionem in lucro ponam, qua possum, quanti illam fecerim,  
significare. Scribeb. in Schola Nouae Urbis ad Dresenam,  
d. VII. Ianuar. A. O. R. clō Io cc LXXI.









ULB Halle  
004 701 909


3











II g  
121

DE  
IMPEDIMENTIS PROPECTVS  
REI SCHOLASTICAE

SVCCINCTA COMMENTATIONE

EXPONIT

CHRISTIANVS FRIDERICVS OLPE,  
A. M. NEOPOLITANI PROPE DRESENAM LYCEI RECTOR, ET LATINI  
IENENSIVM COLLEGII SODALIS.



DRESENAE  
TYPIS HARPETERIANAE VIDVAE.

